

Bl. 12.



Cl 1833  
16

*Dissociabiles olim res,*

**PRINCIPATVM  
ET LIBERTATEM,**

in quavis Republica,

*Ecclesiastica, Civili, Literaria,*

bene misceri posse.

Oratorio Actu in Schola Episcopali  
Cizensium demonstrabitur XIX April.  
Hora II postmeridiana.

Mufarchas, Proceres, Eruditos omnes  
ad auscultandum, obseruantissime  
humanissimeque inuitat

**M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,**  
Rector.


---

*C I Z Æ,*  
Literis Fridemanni Hetstedii.

K.





Um ex nostro ordine essent,  
qui dicendi materiam, tum  
vt stilum exercerent suum,  
tum vt valere iuberent Scho-  
lam eiusque Patronos atque magistros,  
identidem a me peterent; eo ipso tempo-  
re secreta æstimatione pensitabam Taciti  
aurea verba, *res olim dissociabiles, prin-  
cipatum & libertatem, Nerua & Traiani bea-  
tissimo seculo benemistas & compositas fu-  
isse.* Profundius iuxta meditabar, qui-  
bus verbis Literarii ordinis ornamentum  
olim, nosterque desideratissimus præce-  
ptor, IO. ANDREAS BOSIVS,   
hanc Taciti sententiam suis auditoribus  
exposuerat. Nempe *principatum & liber-  
tatem, uti sub tyrannis dissociabiles sint, ita a  
bonis principibus misceri, eamque misturam, &  
que hanc sequitur, facilitatem imperii merito  
inter indicia & notas beatissimi seculi numera-  
ri. Eiusque signa & characteres esse, si impe-  
rantes ita bonitatem suam continuent, vt secu-  
ritas*

ritas publica non spem modo ac votum, sed ipsius  
voti fiduciam ac robur assumat. Nam spem secu-  
ritatis publicæ, præsertim apud vulgus, etiam  
malos principes ac magistratus excitare, quippe  
qui sub initium imperii sui plerumque bonitatis  
personam induant, ac principia sua, magna  
iustitiæ, clementiæ, liberalitatis aliarumque  
virtutum opinione illustrent, gnari, haud fa-  
cile poni odium, quod inter initia noui imperii  
ciuium animos occupauit: sed progressum &  
finem plerumque inclinare. At bonos princi-  
pes & magistratus, cum Traiano spei votisque  
subditorum fiduciam addere, totoque imperii  
sui decursu eadem iustitiæ bonitatisque semita  
incedere, haud ignaros, imperii facile iisdem  
artibus retineri, quibus initio partum sit. Hæc,  
inquam, meditabar, cum materia ora-  
tiunculis, quibus nostri exercerentur,  
eligenda esset. Sicut vero in arena  
gladiator sæpe consilium capit; sic  
extemplo decretum mihi fuit, hanc i-  
psam materiam petentibus elaboran-  
dam & exornandam proponere. Sic  
itaque operam distribui, vt, cum varii  
(2. ordi-

ordinis sint Respublicæ, *Ecclesiastica*, *Ci-  
uilis*, *Literaria*; de singulis singulari ora-  
tiuncula inuestigaretur, quam egregium  
sit principatus & libertatis in qualibet  
illarum temperamentum atque societas.  
Primo itaque

IO. NICOLAO Förster / Schleusing.  
iuueni ad magnanato, primam & ordi-  
ne & dignitate Rempublicam, *Ecclesiasti-  
cam* nimirum, commendauit, vt ex vtra-  
que historia, ciuili & *Ecclesiastica*, osten-  
deret, libertatem, quæ multis seculis so-  
ciari cum Hierarchia nequiuit, optime  
componi cum eadem atque coniungi  
posse. Nec aliena materia eius ingenio  
est, nec stilo elaborata eius studiis & in-  
dole indigno: sed ita pertractabit *Eccle-  
siasticam* politiam, vt ciuilem felicitate-  
tem ab illius pace & tranquillitate pen-  
dere; ruinas autem rerumpub. libertate  
*Ecclesiæ* oppressa oriri, simul ostendat.  
Alteri

CONRADO ADAMO Winckelman/  
Neukircha Varisco, quod elegantioris  
literaturæ vniuersæ amantissimus est,  
*Li-*

*Literariam Rempublicam* assignavi, vt, quid  
in eadem libertas & principatus valeret,  
pro ingenii viribus, Rhetoricæ filo, me-  
tiri & scrutari, suas partes duceret. Ter-  
tio denique

IO. ABRAHAMO Pfeiffer / Nider-  
grāfenhaina Misnico, *Ciuilem Rempu-  
blicam* attribui, non quod hanc vltimam  
putarem atque infimam, siquidem hoc  
iniurium foret in maiestatem eius atque  
dignitatem; sed quod ingeniorum ratio  
habenda erat, & cui libet adiudicandum,  
quod suæ indoli atque studiis quam ma-  
xime responderet. Non autem de futu-  
ros esse suspicor, qui mirentur, quid sit,  
quod, cum de aliis Rebus publicis agam<sup>9</sup>  
plerisque, solam *Scholasticam*, quæ nostra  
est, nec pars exigua censetur Literariæ  
Reipublicæ, sicco prætereamus pede. Diu  
multumque fateor me agitasse consili-  
um, *Scholasticæ Reipublicæ Oratorio* a-  
ctu delineandæ: sed obstiterunt semper,  
quæ, si non deterruerunt, tamen timidi-  
usculum, quod negare non possum, me  
reddiderunt. Videbam enim, difficul-

ter de miscenda scholarum cum principatu libertate, differi; cum, quod seculi degenerantis vitium est, libertatem nimiam postulent adolescentes, parentes etiam sæpe indulgeant, quæ cum eorum, qui scholas regunt, principatu, id est, auctoritate, dignitate, rei que publicæ utilitate non facile componi coniungique potest. Dolui sæpe, cum meditatus sum causas corruptæ disciplinæ, quas si quis enarrare velit omnes, non potest non in multorum odium incurrere. Similis mihi res scholastica huius seculi videtur illis temporibus, quibus a Romana eloquentia descitum esse conqueritur auctor Dialogi de Oratoribus, siue Tacitus is sit, siue Quintilianus, siue alius: certe nec indoctus vir, neque rerum sui temporis imperitus. Corruptos autem sui seculi mores partim parentum indulgentiæ & malæ educationi adscribit, quod ingenui filii *Græculæ alicui ancillæ, & seruorum vilissimo forsitan delegentur, nec quisquam in tota domo pensi habeat, quid coram infante domino aut dicat aut faciat.* Pergit ad puerorum

CO-



conatus, propria, inquiens, & *Specularia* ur-  
bis Romanæ vitia sunt histrionalis fauor, &  
gladiatorum equorumque studia, quibus occu-  
patus. & obsessus animus quantulum loci bonis  
artibus relinquit? Neque præceptores hac  
culpa vacuos esse patitur, sed modo illis  
obiicit, *discipulos colligere, non seueritate  
disciplina, nec ingenii experimento, sed ambi-  
tione salutantium, & illecebris adulationis: mo-  
do in iisdem inscitiam præcipiendi, & obliuio-  
nem moris antiqui* notat, quo solo ad eam  
virtutem & eruditionem perueniatur,  
quæ ad antiquorum gloriam quam pro-  
xime accedat. Quid autem de ipsis  
discipulis affert? *desidia iuuentutis, ait,  
descisci ab ista vetere artium eloquentiaque  
gloria, idque probat, ex adolescentulorum  
sermonibus, si quando auditoria intrauerint:  
nihil enim de studiis, artibus, virtutibus  
loqui, sed de iis rebus, quas domi suis  
voluptatibus dare, longo & inueterato  
vsu, adsuefacti sint. Hæc & similia no-  
stro seculo accommodari perfacile pos-  
se, quis non videt? etiam odium, præ-  
fertim apud rerum ignaros, subitum, qui*

qui eiusmodi vulnera tangat, quis negabit? Rem ergo difficilem pariter atque iniucundam, aliis, qui prudentia & auctoritate præpollent, relinquimus, & qualicumque rerumpublicarum delineatione contenti sumus. Interea contra pravam seculi consuetudinem, Præsidum Inspectorumque dexteritate atque vigilantia nos sustentamus, quorum consiliis auspiciatissimis plurima adhuc correctæ sunt, & imposteriorum corrigentur, si qua honestati & literarum incremento obstare, deprehensum fuerit. Res enim scholarum, æque ac ciuitatum, non possunt ad felicitatis fastigium vno tempore perducì, siquidem, quod idem Tacitus testatur, *natura infirmitatis humane tardiora sunt remedia, quam mala.* Sed redeundum, unde digressi sumus. Ex nostris Oratoribus etiam secundus atque tertius scholæ eadem opera, qua respublicas descripturi sunt, *vale dicent*, postquam eiusmodi fundamenta in eadem, literarum atque artium iecerunt, vt maiorem, eamque Academicam molem, iis superstrui posse, minime dubitetur. Qua par ergo est animi submissione atque obseruantia, Perillustrem atque Magnificos Musarum nostratium Tutores atque Patronos rogamus, vt, si per publicam rem gravissimaque negotia licet, fulgentissima præsentia sua nostram scholam denuo illustrent: ceteros autem huius loci Viros, dignitate, doctrina, amplitudine venerandos atque conspicuos, ad benigne audiendum perhumaniter atque officiose inuitamus. PP. Cizæ, xviii, April. M DC LXXVIII.


No 3165


88°

1007

1007







el 1833  
16

res,

ATVVM  
TEM,

ca,  
literaria,

la Episcopali  
r XIX April.  
ana.

Eruditos o-  
bseruantiffi-  
nuitat

CELLARIVS,

etstedii.

K.

